

U a  
3991 G





UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK  
MAG. DR. H. W. ...

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
PRAECIPVIS MORBIS OC-  
LORVM INTERNIS.

\*\*\*\*\*

QVAM

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOCVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. MARTII MDCCLXXXVIII.

PRO CAPESSENDA

SVPREMA DOCTORIS MEDICI LAVREA

PVBlicae DISQVISITIONI

SVBMITTET

AVCTOR

IGNATIVS WEIDINGER

A. A. L. ET PHILOS. MAGISTER  
NEOSTADIO - SILESIVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DISERTATIO INVAEVALIS MEDICA  
DE  
PRAECEPTIS MORBIS OCULI  
INTERNALIS

PETRO IMMANUELIS HILTMANNI

HORATIVS.

Quis desiderio sit pudor aut modus  
Tam CARI CAPITIS?



MDCCCXXXIII



PIAE  
AC IMMORTALI MEMORIAE  
VIRI SVMMI  
ET PRAEMATVRA MORTE DE-  
FVNCTI  
MAXIMILLIANI DE STOLL  
PROFESSORIS MEDICI LONGE CE-  
LEBERRIMI,  
SVIQVE PRAECEPTORIS,

H A S  
STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
IN  
PVBLICVM ET PERENNE  
GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM  
SACRAS ESSE IVBET  
T A N T O V I R O  
DEVINCTISSIMVS

AVCTOR.





SECTIO PRIMA.  
MORBI HUMORIS AQVEI.

§. I.

*Hydrophthalmia.*

Obstructio venularum resorbentium lymphaticarum, vel ruptura forsan earundem, itemque sanguinis et lymphae viscositas, generant illam praeternaturalem humoris aquei aut vitrei <sup>a)</sup> accumulatio-  
nem: quae adeo nonnunquam increfcit, vt bulbus palpebris amplius contegi nequeat. Vocatur ab ὕδωρ, aqua, et ὀφθαλμός hydrophthalmia.

A 3

§. II.

<sup>a)</sup> Conf. MAUCHART *diff. de hydrophthalmia* et *diff. de paracenthesi oculi.*

## §. II.

Morbus hic debetur humoris vel aquei, (*hydrophthalmia*), vel vitrei incremento, (*serosa vitrei turgescentia*), vel vtrique, (*hydrophthalmia cum vitrei turgescentia combinata*.)

## §. III.

Successuum bulbi oculi augmentum, cum tensione turgida atque exorbitatione; cornea prominens; iris profundior; pupilla immobilis, nunc amplior, nunc strictior, immo teste ANTONIO MATTHEJEAN, eadem prorsus persistens pupillae mobilitas et magnitudo; visus ab initio intemeratus, successiue debilior obscuriorque; dolor nunc mitis, obtusus, circa fundum oculi, nunc grauior, cum eiusdem lateris affecti hemicrania, stupore partium, faciei aliquando emphysemate, odontalgia, agrypnia; tandem sub auctiori molis incremento epiphora, ectropium, sunt signa hydrophthalmiae. Porro autem turgescentiam humoris vitrei serosam designant notabile bulbi oculi exorbitantis augmentum, cum insigni ipsius duritie ac tensione turgida; umbra lenti crystallinae offusa a limbo corporis vitrei circa ipsam eleuati; strabismus versus superiora, dolor obtusus, sensim vehementius increscens; imminutio visus; pupilla plus solito dilatata et parum omnino mobilis, iris conuexa, ad corneam magis propiusque vergens. Verum enim vero difficilior est diagnosis combinati vtriusque mali: quae vero, si curationem spectes, non magni interest. Hanc tamen licet hariolari ex nimia mole bulbi oculi, ex ipsius

7

ipſius duritie inſigni, ex ſtrabiſmo, pupillae dilata-  
tione magna, iride profundiori, et cornea elatio-  
re; ſingulis celeriter increſcentibus.

§. IV.

Hydrophthaliae varietas compoſita nunc ſero  
acri, nunc vero mitiori, in oculum depluenti, de-  
betur. Inflammatio ſociatur cum ſymptomatibus  
iam dictis interna externaue, febris et agrypnia in  
prima ſpecie: quae a ſecunda abeſſe ſolent.

§. V.

Species *prima* curatur phlebotomia, cathar-  
ticis repetitis, reſoluentibus internis, veſicatoriis,  
extracto pulſatillae nigricantis, diſcutientibus oculo  
admotis, fonticulis atque ſetaceis; immo et oculi  
paracentheſis in ſclerotica vel cornea inſtituenda eſt;  
ſi priora morbum non ſuſtulerunt. *Alteri* eadem  
medentur. Quodſi autem pertinax eſſet, lente cry-  
ſtallina et aliqua parte humoris vitrei oculus exci-  
ſione priuetur. In *tertia* demum ſpecie, ſi metho-  
do ſuperius indicata malum hocce non cedat, ocu-  
lus penitus exciſendus eſt, ne malum ab altero  
in alterum ſanum oculum tranſeat *b*).

§. VI.

*Hypopyon.*

Inflammatio corneae, ſcleroticae, iridis  
aut vuae tantae vehementiae, vt reſolui nequeat;  
ſugilla-

*b*) Confer, quae illuſtris PLENCKIUS hoc ſuper morbo iam ex-  
citauit, *Journal de medecine*, T. 45. et CHESTON *pathological*  
*inquiries, and obſervations.*

fugillatio, quae a causis externis et internis produci potest; acrimonia quaelibet, cacochymia; metastasis; lues venerea; scorbutus; variolae; morbilli; ictus; contusio; festucae; hypoaematis operatio; laesio vuae aut choroidis; caries ossium ad orbitam pertinentium, et cetera; collectionem materiae purulentae in ipso humore aqueo efficere possunt: quae hypopyon (ex ὑπό, sub, et πύον pus) nominatur.

§. VII.

Sola oculorum inspectione cognoscitur hic morbus, et prognosin, locus, in quo malum haeret, pars suppurata, vnde stillat pus, natura materiei purulentae, mali duratio, constitutioque aegri determinant.

§. VIII.

Cognita causa, vnde hypopyon ortum ducit, facile est inuenire indicatum. Inflammationum species haec pessima tollitur methodo antiphlogistica, fomentis discutientibus, decocto maluae cum aliquot guttis spiritus camphorati. Quodsi his malum non cedit, perforatio prudens facienda est in inferiori parte corneae prope tunicam adnatam c), vt puri concilietur exitus, posteaque, pure nimirum educto, vulneri vnguentum de tutia, balsamo de Mecha, aut peruuiano non nihil remixtum, illini, ac desuper ad inflammationem discutiendam sacculi balsamici vinosi imponi debent. Periodicum hoc malum

c) Operandi methodum vberius descriptam vide in PLATNERI *Inst. chirurg.* §. 320. et 323.

lum laxantia et corticem Peruvianum *d*); venereum mercurialia; et hypopyon complicatum cum omnium humorum et membranarum destructione excisionem oculi et impositionem artificialis requirit *e*).

§. IX.

*Hypoaema.*

Effusio cruoris in cameras oculi *hypoaema*, *hypophysis haematodes Graecorum*, *hypophthalmia GALENI* est. Oritur haec post grauiore contusiones, a vomitu vehementiori, ab operatione cataractae, et laesione iridis. Malum hocce resoluentia, discutientia, et epithemata ex herbis cephalicis parata sanant: si autem non resolui possit, sectio corneae instituenda est. Celeberrimus MAVCHART venam fecuit, brachium cauterio adussit, atque sic hoc malum appositis sacculis ex herbis resoluentibus in vino coctis sustulit.

§. X.

*Hypogala.*

Lac puerperarum repressum, metastasin ad cameram oculi anticam aut mediam faciens; depressio cataractae lacteae; lens in humore aqueo deliquescentis; aut extractio hypochymatis, praesertim caseosi, parte aliqua relicta; vlcus in superficie corneae interiori haerens, ex quo guttula puris continuo  
in

*d*) Confer MAVCHARTI *Diff. de empyesi oculi*, et IANIN *Abhandlung und Beobachtung über das Auge*, p. 360.

*e*) MAVCHART in *Diff. de oculo artificiali*,

in aereum humorem pluit, et turbiditatem humoris aquei albidam constituit, *hypogalam* generant. Sectionem corneae et medicamenta superius dicta adhiberi oportet: vlcus ipsum vero, fistulae corneae instar, tractetur.

---

## SECTIO ALTERA.

### MORBI PROCESSVS MEMBRANACEI TVNICAE CHOROIDEAE.

#### §. XI.

#### *Synechia.*

**H**oc nomine vocatur concretio iridis cum cornea, aut vuae cum capsula lentis *f*). Oritur praegressis vulneribus fistulisque corneae; nam euacuato humore aqueo vitreus, pressioni scleroticæ cedens, lentem crystallinam, haec vuae extrorsum, consequenter iridem, protrudit, et sic iris collapsæ corneae, quam attingit, adhaeret. Quod hic de cornea et iride dictum, idem de vuae et capsula lentis valet; nisi quod solummodo non corneae, sed capsulae adhaeret. Curatio obtinetur operatione chirurgica, quae acu, intra cameram anticam intrusa, perficitur. *g*).

#### §. XII.

*f*) MAUCHART *Diff. de Synechia.*

*g*) *Ibidem.*

## §. XII.

*Proflis Iridis.*

Est prolapsus iridis per vulnus aut vlcus corneae h). Verum enim vero causae, quae isthaec gignunt herniarum genera, sunt multiplices: nam modo humor aqueus, crystallinus, vitreus, mole et copia aucti, aut crescentes; modo vis externa tunicas oculi debilitans; modo laxitas lamellarum, soluta cohaesio, figura, situsque membranarum inique mutatus, inter huius morbi causas referuntur. Nascitur tumor ex rubro liuidus; iris enim, per hiatum elapsa, in magnam saepe molem excrescit; quae pro varia figura varia nomina accepit a Graecis medicis. V. c. *Melon*, quasi parua bacca; *Myocephalon* quasi muscae caput; *Hellos*, velut clauus; et cetera. Repositio citissime suscipienda est, et ea quoque, quae post repositionem a PLATNERO i) plene descripta deprehenduntur, studiose sunt peragenda.

## §. XIII.

*Mydriasis.*

Nimia pupillae dilatatio cum aut sine laesione visus, dicitur *mydriasis*. Morbus hic a spasmo, paralyfi, synechia, hydrocephalo, vermibus, atonia iridis, et amaurosi oritur. Haud adeo difficile est quidem, morbum hunc cognoscere; difficilius autem causas et species distinguere: quod tamen ad

B 2

progno-

b) Omnes scriptores ante Clar. RICHTERVM nominabant Proflin iridis Staphyloma. Videatur GÜNZ et MAVCHART in *Diss. de Staphylomate*.

i) In *libr. cit.* §. 587. seq.

prognosin instituendam summe est necessarium. Si possit tolli malum, cuius mydriasis est symptoma, et haec tolletur; et contra venaesectione, cathartici, anthelmintici, roborantibus, neruinis, antispasticis, vesicatoriis, cataplasmatibus, fomentis, collyriis acrioribus oculo admotis, inprimis vi electrica, et viuidissimi luminis frequenti in oculum ingressu curatio tentetur.

§. XV.

*Myosis.*

Est nimia constrictio pupillae: quae ideo potissimum tabes aut phtisis dicta videtur, quoniam illi per saepe totius bulbi ocularii atrophia superuenit. Morbus, quia minor diameter pupillae est naturali, etiamque in obscuro manet, summum impedimentum facit in visu. Differt igitur phtisis ab akinesia: quae solam pupillae immobilitatem absque vlla diametri naturalis diminutione designat; differt ab angustia naturali, quae apud myopes quidem aliosque nonnullos obseruatur, quaeque tamen nullam visus obscuracionem infert, nec pupillae naturalem motum tollit. Causae phtiseos pupillae sunt vel spasmodica sphincteris pupillae, seu orbicularium fibrarum, contractio; vel paralytis fibrarum rectarum siue radiatarum, pupillam dilatantium, atque atonia eminentior; vel lucis, aut obiectorum minutissimorum vel valde distitorum diuturna contemplatio; inflammatio; defectus humoris aquei; et id genus cetera. Curatio, quae saepe frustra suscipitur, propter magnam causarum, cum proximarum, tum pro-



procatarcticarum, diuersitatem, valdopere est diuersa, ac crebrius certis operationibus chirurgicis, quarum praecipuam cel. MAVCHARTIVS *k*) fusius descripsit, quam medicamentis expedienda erit. At tamen pharmaca subinde in nonnullis speciebus sufficiunt: quae ad quatuor classes genericas, ad antispasmodica nimirum, roborantia, discutientia, et traumatica redigi possunt, commode reducuntur. Quaeenam autem classis, et quaeenam ex hac sint applicanda, bene perspecta morbi causa designabit.

§. XV.

*Synizesis.*

*A συρίζω*, concidere, *Synizesis* MAVCHART et WOLHOVSIVS dixerunt. Est plenaria obturatio pupillae a coalitis vuae labris. Gradu duntaxat a priore distinguitur. Phthisis enim solummodo aequalem seu orbicularem, vel inaequalem angulosam nempe, aut perpendicularem transuersalemue angustiam pupillae, cum constanti, nec ad lucem mutabili iridis immobilitate; synizesis vero plenariam eiusdem coarctationem, quin ipsam quandoque concretionem denotat. *l*). Haec pupillae imperforatio vel est nativa *m*), vel adquisita: exempli causa, ab hypopyo, empyesi, cataracta purulenta, cephalaea, ophthalmia choroideae, et ceteris. Curatur operatione

B 3

tionem

*k*) In *dissert. de phthisi et Synizesi pupillae*; pag. 25.

*l*) WEISSENBORN in *Diss. de pupilla nimis coarctata vel clausa*. Erford. 1773. & IANIN *l. c.* p. 192.

*m*) WRISBERG *diss. de membrana pupillari foetus in nou. Comment. Goettingens. T. II. pag. 169.*

tione chirurgica a CHESELDENIO instituta. Foramen scilicet infligitur vueae, ope acus trans corneam immittae: aut sectione corneae facta cultro cella FAYE incisio magis nasum versus instituitur in consueto loco pupillae n).

§. XVI.

*Hippus.*

Est alterna et repetita dilatatio et constrictio pupillae velur oscillatoria. Causa, spasmodica alternans contractio circularium et radiatarum fibrarum iridis merito aestimatur. Antispasticis curatur.

§. XVII.

*Akinesia.*

Pupillae immobilitas, quae neque a luce contrahitur, neque in obscuro dilatatur, sed eandem diametrum obtinet perpetuo, vulgo *akinesia* appellatur. Causam, paralyfin orbicularium et radiatarum fibrarum, agnoscit. Infusum arnicae, vis electrica, extractum pullatillae nigricantis, laxantia, et frictiones in regione ciliarum institutae cum liquore anodyno minerali HOFFMANNI adhiberi possunt.

SECTIO

n) *Abhandlungen der Schwedischen Academie.* 34. Band. et RICH-  
TERS *Chirurg. Bibliothek.* 4. Band. 1, Stück, 6. 192.

SECTIO TERTIA.  
DE MORBIS LENTIS CRYSTALLINAE.

§. XVIII.

*Cataracta.*

Corpus pellucidum, magnitudine formaque lentem referens, ex lamellis tenuissimis, pellucidis, et concentricis constans, in camera bulbi posteriori concavitate humoris vitrei ita impositum, ut axis illius cum huius axe coincidat, nomine lentis crystallinae insigniri solet. Lens haec pellucidissimo gaudet receptaculo, quod capsula lentis seu tunica crystalloidea vocatur, et ex duabus cavis sphaeroideis membranis, quae suis marginibus sese contingunt, contextitur. Anterior crassior, magis elastica, tenacior, praesertim in maioribus animalibus, magisque extensa est posteriori. WINSLOWIVS primus detexit, anteriorem crystalloideam ex variis constare lamellis; quod affirmat quoque capsula lentis equinae, per aliquot dies in aqua macerata. Margine suo posteriori vitreo humori per vasa adhaeret, circa marginem vero anteriorem vestigia videntur, ubi corona ciliaris et quaedam vascula processuum ciliarium inferuntur. Inter capsulam et lentem spatium relinquitur et flatu immisso canalis triangularis, in formam intestini coli hinc inde contractus, lentemque ambiens, oritur. Canalis hic *Petitianus* vocatur, quodam glutinosiori impletus humore: qui non, nisi

a lente et capsula in superficie interna secernitur, et per huius poros denuo excernitur in cameram posteriorem. *Humor* hic MORGAGNI dicitur: qui primum nutrimentum lentis in eo quaesivit; quod analogia non suadet. Quaenam enim corporis humani pars resorptione nutritur? Nunc vero iniectio vasa lentem adeuntia demonstrat: ut adeo nullus dubitem, quin per haec fiat nutritio.

§. XIX.

Lentem, lamellasque tam anteriores, quam posteriores tunicae crysilloideae, variis ex causis morbum subire posse, nemo est, qui dubitet: morbus vero hic visum laedit. Laesio visus autem lymphae, per exilissima vasa circulantis, in toto, aut partibus, quietem stasique refractariam, et haec rursus grauem oculi laesionem, vel, quod multo quidem frequentius accidit, impeditum humoris lymphatici affluxum aut spissitudinem eius, tenacitatem, atque impuritatem sequitur. Posita enim causa priori lens contrahitur, aridaque fit atque opaca. Opacitas vero lentis crysillinae vel lamellarum anterioris et posterioris tunicae crysilloideae nomen cataractae o) accipit in medicorum scholis. Haec vel in lente sola, vel in anteriori, vel in posteriori plano capsulae, vel in ambobus simul, aut in lente et anteriori vel posteriore superficie tunicae crysilloideae sedem habere potest. Species hae vel cataracta lentis

o) Veteribus est suffusio. Conf. Cl. HENCKEL *de catar. crysillina vera*; GÜNZ *Diff. de suffusionis natura et sede*; ALBINI *Diff. de cataracta*.

tis crystalloïdis, vel crystallo- crystalloïdis p) et cataractae verae nomen accipiunt. Spuriae vero dicuntur, si ex materia purulenta albida atque viscidiori, post vueae aut tunicae choroïdae inflammationem, ex ruptis vasculis obstructis effusa, vel post hypopii operationem ex relicta pellicula, cum superficie anteriori lentis concreta, ortum duxit. Ad- dunt nonnulli spuriae speciem illam, quando ex capsula ipsius lentis humor corruptus effluit, et lentem, ipsi innatantem, dissoluit, vel ipsa lens in liquamen resoluta diffluit. Si autem lens aut capsula non tota obscuratur, sed aliqua tantummodo puncta in medio opaca fiunt, cataracta vocatur localis; ex qua non perfecta caecitas, sed vitia varia visus oriuntur. Sic amblyopia, hemeralopia, nempe ista, vbi pupilla constringitur a sole meridiano, et tunc scaecitas plenaria adest: at vesperi, et in loco obscuriori, vbi dilatatur pupilla, adhuc radii penetrare per marginem inopacum lentis possunt.

§. XX,

Supposita causa posteriori facile stases et ob- struções in lente fiunt. Lympha subsistens a crasi sua naturali magis magisque sensim recedit, et, subtilissima liquidi parte dissipata, cataractam generat *mollem*, quam alii *caseosam* nominant; crassiori autem magis condensata, *duram*: quae communiter minor, raro maior, naturali magnitudine lentis, tan- dem

p) Ante operationem non dantur criteria, per quae species quaeli- bet seorsim distingui potest.

dem penitus indurefcit, et duritiem fere lapideam lenti cryftallinae inducit. Fitque etiam hifce ex caufis, vt adeo inflammetur interdum tunica cryftalloidea feu capsula, vt inter lentem et tunicam pus generetur, aut ipfa lens liquefcatur, et in humorem vertatur puriformem: vnde *laëtea* aut *purulenta* oritur cataracta q): aut lens contracta atque opaca, aliterque colorata, corrupto eidem humori innatans, fua sponte, phlyctænae aut hydatidis inftar, oculo excidit, *cysticamque* format cataractam. Huc referri poteft obfcuratio vel condensatio humoris MORGAGNI, confociata cum opacitate lentis, vel fine eadem.

§. XXI.

Lens, hypochymate correpta, propter diuerfum indurationis gradum, diuerfamque humorum quiescentium indolem, vario gaudet colore. Sic, albidus fi adest color, cataracta *argentea* dicitur. Color cinereus, viridis, rubicundus, cretaceus, immo, fed rarius, caeruleus aut nigricans, tamen ab amaurofi in eo diftinguit cataractam, quod *primo* color nec adeo niger eft, nec adeo clarus; porro imago mea, fi oculum infpicio, non tam bene reflectitur, vt in amaurofi; in nigricante *denique* vix a tenebris diftingui adhuc poteft, quod in gutta ferenam non licet; cafu excepto folo, fi cataracta nigricans coniuncta effet cum amaurofi r). Datur et cataracta *stellata*, et etiam alia variis coloribus mixta.

Si

q) Conf. PLATNER §. 1308. *libr. cit.*

r) IANIN p. 343. *libr. allegat.*

Si color lentis caesius siue glaucus est, plerique morbum hunc *glaucoma* vocant: tamen plurimi recentiorum opinione hac minime sunt contenti, sed pluribus omnino criteriis hypochyma vulgare a glaucmate esse volunt distinctum /). Color non praestat sufficiens criterium, ratione compactae aut fluidae substantiae suffusionis: nam saepe mentitur cataracta alium colorem ante extractionem, quam post illam.

§. XXII.

Hypochyftis rarissime subito generatur, sed pedetentim: pro differentia tamen causae vigorisque nunc citius, nunc tardius, ortum ducit suum. Primo queruntur aegroti de obscuritate visus de die in diem aucta, ita vt ipsi existiment, adparere sibi obiecta, ac si ea per interiectam sindonem aut cribrum viderent, oculisque puncta nigra volitantia, scintillae, telae araneorum, muscae, et id genus alia obuerfarentur. Color pupillae magis magisque a natura de-

C 2

clinat

f) Proximum, PLATNER in *inst. chirurgic.* §. 1309. *scribit*, his vitium in lente crystallina est, si ea cum suo velamento multum et ita intumescit, vt reliquae oculorum partes ab ea premantur: hoc his indiciiis cognoscitur. Oculus durus, digito renitens, attollitur, et magis, quam naturaliter consuevit, prominet. In eo grauitatis quidam et doloris sensus est: intus in oculo illud, quod sese opponit, colorem habet marinae aquae. Tandem, si malum inueterauerit, pupilla dilatatur et accedit *μυδριασις*; quoniam vero et vitreus humor, et retina, a lente, quae multum intumescit, premuntur, perit omnis videndi facultas, et oritur *ἀναρρωσις*. Glaucoma hoc vitium vocant. Aliud vero glaucomatis genus est, si vitreus humor intumescit, corrumpitur, et obscurus fit. Is tamen longe frequentius dissoluitur, et oculus, qui caligat, concauus fit atque flaccidus, qui prementi nihil renititur. Necessè vero est, corrupto vitreo humore etiam lentem vitari: *si cerera*.

clinar, et macula subalbida, fere vnionis instar, in lente nascitur, quae sese latius atque latius sensim diffundit, totamque lentem opacat ita, vt distincta aut plenaria videndi facultas aboletur. Ex his facile patet, cataractam in incipientem et confirmatam diuidi haud incommode posse.

### §. XXIII.

Inflammatiō non discussa lentis vel tunicae crystalloidis, metastases, acrimoniae multiplices, vapor effluuiorum aquae fortis t), continua librorum lectio, aspectus diuturnior minutissimorum, praesertim splendorum, obiectorum, aut ignis lucidioris intuitus, contusiones, et vulnera, et ambustio oculorum, mediate aut immediate causam praebent; immo nimiae euacuationes serosae et sanguineae, vsus fumi et pulueris tabaci intemperantior, abusus potus spirituosus; cephalalgia aut hemicrania refractaria, coryza et grauedo saepius reuertens, erysipelas faciei, virus venereum, quoad partem in corpore retentum, et alia haud raro inter causas procatarcticas numerari merentur.

### §. XXIV.

Suffusio curatur vel medicamentis, vel depressione aut extractione. Quod ad priora attinet, in incipienti, et apud aegrotos iuniores laudantur interne laxantia; mercurialia; pilulae ex gummi ammoniaco et sulphure antimonii aurato aut mercurio dulci; morsuli restaurantes Kunckelii, extractum aconiti,

*D' SZEN Diss. de cataracta ab effluuiis aquae fortis orta. Ienae 1774.*



niti, pulsatillae nigricantis, hyoscyami albi cum mercurio dulci; succus e millepedibus siluestribus; et cet. Externe fonticuli, setacea, vesicatoria, et tandem vapor spiritus salis ammoniaci per tantillum temporis oculo applicari, et per interualla haud inopportune repeti potest. Sed magis specifica prodesse videntur in cataracta, a singulari acrimonia orta: verbi causa, in venerea mercurius; in scrophulosa, cortex peruuanus cum cicuta; in arthritica, aconiti extractum cum antimonio. Quam primum vero iam cataracta est consummata, nihil auxilii a medicamentis internis exspectari potest, sed solummodo ab operatione visus reparatio erit exspectanda.

§. XXV.

Depressio, quam etiam vulgo depositionem cataractae vocant, BRASISTRATO, CELSO, GALENO, AEGINETAE et reliquis dogmatum Galenicorum affeclis iamiam cognita, vsque ad annum MDCCCLV frequentata, exoleuit tandem, extractione, a DAVIDELE auctore inuenta; quem tamen alii imitatore tantum verorum auctorum, FREYTAGII nimirum et MÖHRLINGII, perhibent. Nuperis vero temporibus celeberrimi viri, POTT *u*) et MOHRENHEIM eandem restaurauerunt; quorum vltimus, praecipue in hypochoysi, a rheumatismo orta, huic prae extractione palmam concedunt. Vtut haec sunt, tamen extractio fere ab omnibus nostri aevi artificibus instituitur; solummodo regione incisionis, et cultro adhibendo, diuersis. Verbi causa, D. SICERIST cul-

C 3

tro

*u*) POTT *Chirurgische Beobachtungen*. Conf. RICHTERS *Chirurgische Bibliothek*. 3. St. 4. Band. S. 564.

tro vitur, qui in summitate simul acum depressori-  
am habet, ne humor aqueus tam cito effluat; et cla-  
rissimus WENZEL in regione superiori corneae trans-  
parentis incisionem eadem ex causa instituit. Quae-  
nam autem methodus sit praefenda, et quando  
quomodoque institui debeat, non definiemus; quan-  
doquidem illustres viri PLATNERVS, SAINTYVES,  
PÖTT, RICHTERVS, PLENCKIVS, HELLMAN-  
NVS, et HVNCZOVSKY, luculenter hac de re sunt  
commentati.

§. XXVI.

*Prolapsus lentis crySTALLINAE.*

Est prolapsus lentis ex tunica crySTalloidea in  
cameram anteriorem. Hic saepius causam agnoscit,  
depressionem cataractae, lapsum in caput, saltum ex  
summo loco, pressionem et percussionem oculi ma-  
gnam. Ipse Viennae vidi ancillam, quae a domina  
sua adeo grauem acceperat alapam, vt lens per vul-  
nus corneae, ab vi alapae inflictum, decideret, et  
tamen visu non erat spoliata; itemque lanionem ibi  
etiam noui, cui capsula rupta erat cum dolore into-  
lerabili, quandocumque caput erectum aut supinum  
habebat situm. Ambo curati sunt a celeberrimo  
dexterrimoque BARTHIO, praeceptore meo mul-  
tum venerando: illa consolidatione vulneris; hic ex-  
tractione feliciter instituta.

SECTIO

SECTIO QVARTA.  
MORBI HUMORIS VITREI.

§. XXVII.

*Glaucoma.*

Est obscuratio humoris vitrei x). Cognoscitur ex eo, quod aeger nihil videt, et aliquid opaci post lentem obseruatur. Causa proxima est depositio fluidi turbidi in cellulas humoris vitrei. Resoluitur interdum humor vitreus in materiam purulentam aut puriformem, aut, vt aliqui adserunt, in terream substantiam cogitur. Species huius morbi sunt sequentes.

§. XXVIII.

*Synchysis.*

Haec est dissolutio humoris vitrei in aquam tenuissimam. Causae plerumque latent y). Morbus hic interdum cum cataracta, et semper fere cum amaurosi z) complicatur, et vix sanabilis deprehenditur. Nam per quanam remedia dissoluto humori vitreo densitas naturalis reddi potest?

§. XXIX.

*Prolapsus humoris vitrei.*

Est prolapsus humoris vitrei per vulnus corneae, aut scleroticae. Atque hic accidit saepius in ex-

x) Conferatur HEISTERVS in tract. de cataracta, glaucomate, et amaurosi; Altorffii 1720.

y) Videtur hic morbus nonnunquam ab imposito spiritu cornu cerui volatili ortus. Conf. RICHTER von grauen Staar; p. 102.

z) RICHTER Fascic. Obseruat. Chir. II. p. 67.

extractione hypochyfis, si oculus admodum premittur; aut a spasmio muscutorum, post factam in cornea incisionem, excitatur. Tunc vero narcotica dare, et externe oculum fascia tegere, fas est, per nouem dies, sine repositione humoris vitrei: vulnus enim consolidatum emendabit prolapsum a).

## SECTIO QVINTA.

### MORBI RETINAE.

#### §. XXX.

##### *Photophobia.*

Morbus ille est, in quo aegroti nimium lucis splendorem fugiunt, oculisque nictitant, superfluae lucis detinendae causa. Hic autem status ab inflammatione, symptomatibus inflammationis internae, a mydriasi, a desuetudine lucis, aut sensibilitate systematis neruosi nimia, ortum ducit. Curatur vel antiphlogisticis, vel roborantibus, neruinisque: et palliatue, si viride sericum ante oculos ponitur, vt pederentim lucem perferre possint.

#### §. XXXI.

##### *Amblyopia.*

Haec est magis minusque videndi imminuta facultas sine errore oculi. Causa amblyopiae, idiopathicae est imminuta sensibilitas retinae: consensualis

\*) Conferatur RICHTER von der Ausziehung des grauen Seegars, pag. 99.

sualis autem consistit vel in conglutinatione aut coalescentia partiali palpebrae inferioris et superioris; vel in nimia humiditate aut siccitate corneae; vel in turbiditate, abundantia, aut imminuta quantitate humoris aquei; vel in myosi pupillae; vel in incipiente cataracta aut amaurosi; vel in topica retinae atonia. Vnicuique facile patet, illam vel haereditariam esse, vel adquisitam a longo solis aut ignis adpectu. Artifices, obiectorum paruorum intuitu occupati, noctu legentes scribentesque, coitu abutentes, hoc morbo praecipue laborant. Causis tollendis inferuiunt, a lumine viuido abstinentia, et oculi roboratio, cum externa, vsu vini *Ianiniani* vel frigidi oculorum balnei; tum interna, cortice Peruuiano, cum valeriana siluestri coniuncto. Palliatiu curatio postulat vitra in vtroque latere conuexa, inprimis viridia. Radii enim propius collecti fortius in retinam agunt. Ex tanta aetiologiae varietate abunde apparet, prognosin et curationem valde differre: sed, ne sit longior oratio, de methodo medendi his causis memoratis relegamus lectores ad illustres viros, *CARTHEVSEVM b)* et *PLENCKIUM c)*, praeceptorem meum maxime venerandum.

§. XXXII.

b) *CARTHEVSEVM* in *Fundam. Pathol. et Therap.* T. I, Sect. V, Cap. IX. p. 449. et seq.

c) *PLENCK* *Augenkrankheiten.* p. 332. et seq.

D

## §. XXXII.

*Nyctalopia.*

Graecorum *νύξ*, noctem, *ἄλη*, errorem, et *ὄψ*, oculum designat. Est autem morbus, in quo aegri sole meridiano fat bene; occidente vero, vel paulo interdum citius, parum aut plane nihil vident. Veri simile est, causam in cruore crasso ac viscido, vel intra cranii limites, circa thalamos neruorum opticorum, vel in ipsis neruorum vasculis sanguiferis, noctu stagnante, ac comprimendo tubulorum medullarium obstructionem producente, haerere. Haec generat speciem amauroseos temporariam. Cur autem transitoria ac periodica sit, qui ex me quaerunt, illos considerare oportet, haud dissimile phaenomenon in febribus catarrhalibus, doloribus venereis, podagricis, aliisque morbis compluribus obseruari: qui sole circa vesperam paulatim decedente magis magisque exacerbantur, ludo tristiori per noctem acto; circa solis exortum vero denuo mitescunt atque remittunt *d*). Per saepe hic affectus sponte euanescit; sicuti obseruatio D. HERMANNI *e*) confirmat. Interdum ope indiget medica. Victus et aëris mutatio, vesicatoria, laxantia, diluentia et incidentia, neruina, cephalica mitiora, et illa remedia, quorum usum in tollenda amaurosi ordinaria postea commemorabimus, commendari merentur.

## §. XXXIII.

*d*) Videfis optimi PRAESIDIS *diss. de nocturna morborum, exacerbatione*; Helmstad. 1762.

*e*) In *Primitiis physico-mediciis Polonicis*. Vol. I. pag. 236.

## §. XXXIII.

*Hemeropia.*

Cum Graecis *ἡμέρα* denotet diem, nominis ratio ex priori morbo cognoscitur. Hoc morbo laborantes aegri sole meridiano parum aut nihil, occidente autem sat bene vident. Causae sunt vel amaurosis, non tamen transitoria ac periodica; vel nimia sensibilitas; aut atonia retinae, atque nervorum opticorum; vel sphincteris vuae spasmus, aut fibrarum in iride radiatarum relaxatio; vel angustia pupillae nimia; vel macula opaca in media parte lentis: a sole enim meridiano contrahitur pupilla, atque tunc caecus euadit aeger; loco obscuro vero aut vesperi dilatatur, et tum penetrant radii per marginem lentis non opacum. Haec causa exigit lentis extractionem vel depressionem: quod ad reliquas causas spectat, earum iam mentio vberior §. XIV. est facta. Quandocunque vero hae causae non adsunt, solito maior tamen pupillae dilatatio, sine vlllo tamen manifesto alio oculi vitio, semper, sicuti clarissimus Fournier, medicus Monspelienfis, iterata observatione confirmavit, hemeropia aequae, ac nyctologia ortum suum humorum spissitudini ac stasi, non tamen periodicae, sed constanti debet. Pariter, ut morbus praecedens, victu duriori abrogato, et venaesctione praemissa, laxantibus, diluentibus, resolventibus, et ceteris contra causam materialem amauroseos mox commendandis remediis, vel saltem, secundum methodum *Fournierianam*, V. S. in

brachio, vomitoriis, et vesicantibus post aurem  
vtramque applicandis, curatur.

§. XXXIV.

*Gutta Serena.*

Caecitas, in qua pupilla nigra, dilatata, et immobilis est, *gutta serena* siue *amaurosis* vocatur *f*). Praeter haec tamen dantur species amauroseos, in quibus pupilla constricta, mobilis, pallida, et ad retinam vsque perspicua est *g*). Penuria fluidi neruei in toto corpore, aut minus sufficiens, aut plane impeditus influxus eius in tubulos medullares retinae vel nerui optici, causa proxima guttae serena est. Per saepe illa sine vilo alio symptomate, nunc subito, nunc pederentim superuenit, atque ita perdurat. Inter causas procatarticas vero numerantur: plethora, defectus aut repentina suppressio fluxus menstrui, vel lochiorum, vel haemorrhoidalis: neglecta venaesectio, diuturna adfuetudine familiaris facta; abusus potus spirituosus, mercurialium *h*), et martialium; denique etiam grauiditas. Species haec, a congestione sanguinea orta, curatur venaesectio- nibus in brachio et pede, cucurbitulis, hirudinibus ad tempora et angulos oculorum applicatis; interdum etiam arteriotomia temporali; clysmatibus fe- mi-

*f*) OEHMEN *diff. de amaurosi*; et NOOTHNAGEL *Diff. de amaurosi*; Erlang. 1776.

*g*) RICHTER *fascic. II. obseru. chirurg. p. 62.*

*h*) THEDENS *Unterricht für die Wundaezete bey Armeen*; 1774. S. 199.



micupisique. Externe oculus, frons, tempora, aquae frigidae fori tractentur. Si vero haec nihil profunt, tunc a specificorum usu expectandum erit auxilium. Inter interna huius generis remedia numerantur sequentia: extractum cicuræ, atque aconiti; infusum arnicæ; sulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis; balsamus vitæ, moschus, oleumque animale DIPPÉLII; decoctum ligni guaiaci; aquila alba siue mercurius dulcis; belladonna; decoctum saturatum corticis peruuiiani et valerianæ, cum sale volatili cornu cerui; radix hermodactylorum; tinctura cantharidum; et vomitoria. Præter hæc, externe adhiberi possunt sequentia: balnea frigida; frictions capitis, frontis et temporum cum balsamo vitæ Hoffmanniano; errhina; vapor decocti Coffeæ, aut infusi specierum cephalicarum, aut spiritus salis ammoniaci volatilis, oculo admissus; vis denique electrica atque magnetica *z*). Mucidi et acres humores seroso-lymphatici, circa ortum aut progressum neruorum opticorum coaceruati ac quiescentes, premendo comprimendoue inducunt illam amauroseos speciem, quæ fit a congestione serosa. Haec curatur decocto lignorum, vino antimoniato **НУХНАМІ**, laxantibus, vomitoriis, vesicantibus, et

D 3

spe-

*z*) Omnium singulorumque hic memoratorum remediõrum, tam interiorum, quam exteriorum, præstantissimos hoc in morbo effectus obseruationibus testimoniisque plurimum celeberrimorum virorum confirmat illustris PLENCKIUS in *lbr. cit.* pag. 315. seq. quorum nomina denuo hic excitare, superuacaneum nobis est visum.

specificis tandem ante dictis, si priora expectationem eludunt. Studia assidua, intemperantia libidinis, onania, immodicae sanguinis profusiones, fulgura, et aliorum corporum valde coruscantium aspectus diuturnus, ab imbecillitate retinae oriundam amauroseos speciem creant. Haec externe balneum oculi frigidum et vinum IANINI, interne corticem peruvianum, cum valeriana sylvestri adhibendum, postulat. Praeter haec cruditates primarum viarum saepe periodicam constituunt amaurosin. Visa quoque est oriri ex superciliarum vulneribus: quae tunc liquore anodyno Hoffmanni aut spiritu formicarum *k*) illinenda sunt. Vidi olim puerum, ligno acuto ludentem, cum alio puero ludi socio: a quo lignum illud in faciem prioris est iniectum, simulque vulnus superciliis, et per hoc ophthalmico ramo quinti neruorum paris inflatum. Statim amauroticus factus puer, paullo post tamen usu externo anodyni liquoris, et interno extracti pulsatillae nigricantis visum recuperavit. Sed supersunt adhuc aliae amauroseos species. Pariter enim, ac affectio hypochondriaca, colica saturnina, aut impuritates primarum viarum acidobiliofae, vermesque, ira etiam lues venerea, gonorrhoea virulenta intempestiue cohibita, aut tinea capitis, et scabies retropulsa, aut vlcera et fonticulorum consolidatio praematura, itemque grauiorres spasmi, producunt quandoque amaurosin. Rite vero applicatis, quae iam diximus, remediis specificis,

*k*) Vid. PLATNERI *progr. de vulneribus superciliis illatis*, et MORGAGNI *epist. anar.* 1764. Epist. 18. p. 356.

ficis, et illis, quae ex memoratis causis fingulatinr indicantur, facile sanabis symptomaticam hanc amaurofin.

---

## SECTIO SEPTIMA.

### VITIA VISVS.

#### §. XXXV.

#### *Strabismus.*

Præternaturalis et deformis est oculi vnus, vel vtriusque, versus nares, tempora, frontem, aut genas distortio, ita, vt obiecta, ob situm pupillae incongruum, nunquam e directo, sed in obliquum flexo, oculo cernantur. Multiplex autem huius vitii causa oritur, *primo* quando oculus ex alio vitio, verbi causa, vlcere aut cicatrice corneae, caligat, atque sese ideo in eam partem vertere sub visione cogitur, per quam homo melius cernere valet; *porro*, quando processus ciliares, qui, ex ligamento ciliari educti, lentis crystallinae velamento adhaerent, eamque non solum in sede sua continent, sed sub visione etiam propinqua propius versus corneam trahunt, aliqua ex parte resoluti atque imbecilles sunt. Ex praesente hoc vitio, censente PLATNERO <sup>1)</sup>, sequitur, vt ex altera parte, vbi fibrae integrae sunt, illae

con-

<sup>1)</sup> In *libr. cit.* §. 1328. p. 907.

contrahantur et adducantur, atque ipsa lens cum suo velamento vertatur et adducatur; quo statu posito, si talis homo ea, quae coram sunt, videre cupiat, et pupilla ex aduerso oblique collocatae lentis sit, oculum musculis suis in eam partem paulo contorqueri necessario oportet. *Tum*, si vnus ex musculis rectis oculum, sursum, deorsum, introrsum, atque extrorsum mouentibus, integris reliquis, spasmo, conuulsione, aut paralyfi laborat; sicut post praegressam magnam in variolis et cet. exulcerationem, aut post vulnera aliasque grauiore oculi laesiones, saepe numero accidit: fieri omnino non potest, quin ille ipse musculus praeter naturam contrahatur, aut relaxetur, adeoque suo amplius officio vel plane non, vel minus congrue defungi possit. *Denique* si abducens aut attollens oculi musculus spasmo, antagonista vero adducens aut deprimens paralyfi eminentiori laborat: eadem, vt in priori exemplo diximus, accidere oportet. Causis memoratis occasionem praebent frequentiore: situs cunaram infantilium inconueniens; siquidem ad fenestram omnes nuper nati distorquent oculos, progressu temporis vero obseruando docti, melius obiecta ambobus cerni oculis, ab ista consuetudine remittunt, rectamque visionem sibi faciunt naturalem *m*). Porro huic malo producendo inferuit obligatio vnus, aut alterius oculi, morbo quodam affecti; crebrior adpectus strabismo laborantium; in-

*m*) PETIT *diff. sur la vue des enfans*; in *Mem. d. l'acad. de Paris*, 1727.

inflammationes et ulcera oculorum; variolae; rheumatismus, immo et rhachitis apud infantes. Strabismus congenitus non vnquam curatur: secus vero ille, consuetudine praua, aut diuturna alterius oculi obuelatione contractus. In hoc enim larua, duobus foraminibus, quae rectam duntaxat permittunt visionem, instructa, per longum tempus applicetur, vel oculus sanus per vnam, alteramue hebdomadem subligaculis claudatur *n*). Remedia interna atque externa, quae conuulsioni aut paralyfi, ac praeternaturali musculorum contractioni, a vulnere, exulceratione, aut alia violentia externa inductae, vulgo mederi putantur, adhibenda sunt.

§. XXXVI.

*Myopia.*

Est difficultas obiecta remotiora bene et distincte inuicem fecernendi *o*): quae vel a corneae conuexitate nimia; vel ab excedente bulbi longitudine; vel a nimia conuexitate anterioris superficiei in lente crySTALLINA, vel a densitate maiori corneae et oculi humorum dependet. Vitium alterum est sequens.

§. XXXVII.

*n*) Conf. ALLEN *synops. med. pract.* p. m. 387.

*o*) III. HALLERI *Elem. Physiolog.* T. V, p. 496. et *Hamburg. Magazin.* B. 23. S. 279.

## §. XXXVII.

*Presbyopia.*

Haec plane myopiae opposita est. Vtrumque vitium nullis fere remediis tolli potest, sed magis, minusue aptis perspicillis adhibitis emendari debet. Sed, ne dissertationis academicae limites transgrediar, reliqua visionis vitia hic silentio praeteriri posse commode, existimo: quandoquidem de omnibus his singulisque illustri PLENCKIVS, quem praepotorem veneror, cuiusque vestigia hoc in opusculo pressi, absolute luculenterque est commentatus.



Ua 3991<sup>e</sup>

ULB Halle

003 793 516

3




f  
sh.









DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
PRAECIPVIS MORBIS OC-  
LORVM INTERNIS.

\*\*\*\*\*

QVAM

PRAESIDE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,  
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. MARTII MDCCLXXXVIII.  
PRO CAPESSENDA  
SVPREMA DOCTORIS MEDICI LAVREA

PVBLICAE DISQVISIONI

SVBMITTET

AVCTOR  
IGNATIVS WEIDINGER

A. A. L. ET PHILOS. MAGISTER

NEOSTADIO - SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.